

veteribus Esseni pro sodalitate quadam psallentium habentur. Interim, quum Scriptura dicat, Enosi ætate *cæpisse nomen Domini invocari*, Gen. IV, ult. non errabimus, siquidem, sub id tempus, publica etiam carmina, quæ demum cunque fuerint, increbuisse in sancto DEI cœtu, putemus.

*Thef. II.*

**V**t autem Odas & Carmina nullis non actionibus & institutis adjicere possumus ; Sic Hymnos Sacris publicis præcipue adhibendos, & jam olim adhibitos fuisse, existimamus.

*Ex. I.*

**S.** I. **S**upra ostendimus, homines ad canendum & per naturam duci, & a brutis animantibus invitari. Arcades, austerioris alioqui ingenii populus, liberis præcipiebant suis, hymnos, & cantica sacra ediscere, & in conviviis cantando recitare, ut ATHENÆVS refert. (a) JULIANVS, Desertor, impietate notior, quam scriptis, (b) ipsos barbaros se vidisse, testatur, rustica carmina, verbis facta similibus clangorum, quos aspere clamantes aves edunt, studiose amplecti, & musicis carminibus delectari. *Nostra enim natura, ait CHRYSOSTOMVS, usque adeo delectatur canticis, & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant & afflicentur, ea ratione sopiantur. Nutrices quidem, quæ eos gestant ex ulnis, sæpe abeuntes & redeuntes, & quedam puerilia eis carmina decantantes, superci-*

(a) in Dipnosoph. f. 626. edit. Casaub. Addatur Polybius L. IV.

(b) initio Misopog.